



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

2. Virtutes, ex quibus construatur Ædificium Morale Philosophicum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

tutione egit Sapiientissimum Architectum, ut suis locis est demonstratum; ita in Justificatione vel sanctificatione cujusque, sive per Sacramenta, sive absque iis ea fiat, ad instar Architecti opus suum peragit. Quamobrem cum hominem, post lapsum, de peccatis dolentem, veniamque deprecantem in gratiam recipit, Ædificium in illo extruit, in quo ipse tanquam in domo, aut Regia, sua Majestate haud indigna commoretur.

Hoc Ædificium non est aliud quam virtutum coagmentata universitas; in qua quædam, ceu Fundamentum, imam, quædam, velut parietes, mediam, quædam denique, tanquam alia domus membra, interiorem, anterioremque partem occupant. Ad hanc autem Fabricam erigendam Christianus Sapiens, tanquam perita Architecturæ, manum admovere, & operam quotidianam, ut conservetur, conferre, si muneri tuo satisfacere velit, debet: nam contemplari tantum & ociose aspicere, non est satis. Ut autem intelligatur, dum in hoc Ædificio construendo laborat, non unam esse Domum quam sibi propositam habere debet: OBSERVA Quintuplex esse Ædificium, quod sibi quilibet Amator Sapientiæ objicere possit, ut suæ opus industriæ. Primum voco Ædificium morale Philosophicum, Secundum Spirituale Theologicum. Tertium, Ædificium Gloriam meritorum. Quartum, Ædificium boni exempli. Quintum, Ædificium Adoptivum. Horum omnium, & singulorum Christianus Sapiens est Architectus Tropologicus.

ARTICULUS II.

VIRTUTES.

Ex quibus construatur Ædificium Morale Philosophicum.

Hic necessario præmittendæ sunt virtutum aliquæ *distin-*

distinctiunculæ, ne unius Ædificii materia accipiatur, quæ est alterius, magno errore, Ædificatoris lapides temerè confundentis. Itaque PRIMO dividatur Virtus ex efficiente in *Naturalem, Acquisitam, & Infusam*. Naturalis est, quàm una cum naturâ ab Auctore naturæ homo accipit. Atque hac acceptione, una tantum est naturalis: nempe habitus primorum principiorum. Adquisita vocatur, quam homo suis actibus efficit, iisque frequentatis acquirit habitum. Infusa dicitur, quàm donat DEUS infundendo: unde illi nomen. SECUNDO, distinguatur virtus Adquisita ex materiali causâ vel subiecto, in *Intellectualem*, quæ est in parte apprehensiva, & *Moralem*, quæ est in appetitivâ. Cùm enim virtus sit dispositio perfecti ad optimum, ut Aristoteles definit *lib. 7. Phys. cap. 3.* quia perficit supream animæ potentias Intellectum & Voluntatem ad optimam operationem circa honestum prout congruit naturæ rationali, secundum cuiusque statum & conditionem, necesse est duplex ejus esse genus, quorum alterum sit in intellectu, alterum in voluntate. In intellectu quæ sunt, dicuntur *Intellectuales*, quarum quinque species enumerat Philosophus: *lib. vi. Ethic. cap. 3.* & sunt, *Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia Intellectus*. Quæ in voluntate, appellantur *Morales*, quatenus Morale dicitur, quod ad inclinationem appetitus, sive rationalis, sive sensitivi spectat, & mores hominum secundum rectæ rationis præscriptum componit. TERTIO, Virtus infusa ex diversitate causæ formalis, id est, objecti, dispescitur in *Theologicam*, quæ habet pro objecto ultimum finem, DEUM: & virtutem *Moralem, infusam* quæ habet pro objecto medium ad illum finem. Jam verò,

ÆDIFICIUM MORALE PHILOSOPHICUM appello, quod construitur ex virtutibus moralibus, quas pri-